



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

IV. An futura absoluta, etiam contingentia, secundum se, qua talia,
diuinam terminent cognitionem, sintque proinde objecta saltem materialia
ipsius?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

Verum ut ex argumento constet, eadem vis eius est, etsi scientia utraque in Deo sit, & contingens à voluntate creata apponendum; imò etsi sola scientia in Deo præcedat, & extrinseca sola purificatio conditionis apponatur. Cum enim, ut diximus, conditione apposta, nequeat contingens absolute non esse, nisi scientia conditionata Dei, quæ supponitur, deficiat, falsave reddatur, atque implicet utrumque, nulla potentia eis antecedenter, & pro natura priori politis fieri potest, ut cum eis à creatura decreti cogniti sub ea conditione ponatur omisso: sin verò, vel id fieri aliqua potentia absolute potest, etsi utraque in Deo decreto absolute scientia præcedat, omitti à se decretum absolute posse cognosceret: quare neque si omittente velit decretum, conabitur in impossibile cognitum, ut impossibile: obiectio ergo specialem contrascientiam Dei mediam de suis actibus contingentibus difficultatem non habet; sed æque omnem scientiam mediam de conditionatis contingentibus nostris impugnat: quare communis solutio erit occurrendum, quam fusius dabimus controu. 7. de decreto collatio auxiliij efficacis, & scientia, qua reguletur, disputantes. Breui nunc respondeo: scientiam illam conditionatam, quæ physicè præcedit, purificationem conditionis, & contingens absolute quod sub ea fore, repræsentat, connexam de se adhuc purificata conditione physicè non esse; sed solum cum suo conditionato obiecto, eiusque ratione, & connexione (quæ solum consequens est) cum absolute contingententi connecti: quare, & necessitate, & connexione consequente solum. Item ratione futuritionis conditionata, cum qua uti suo obiecto connectitur, dependentiam habet à contingententi absolute, cum purificatur conditio. Si enim tunc absolute non apponeretur contingens, futuritio conditionata, ac subinde nec scientia conditionata, non foret: quare & scientia ipsa ab absolute contingententi in sui positione, & existentia pender, potuitque impediri, ne esset, ac præcederet pro priori, quo fuit, ac præcessit: quocirca neque absolute contingentis potest libera positioni obesse, quam in alio ordine exercitiam supposuit, ut in alio præcederet: neque usquam in casu dicto potestas ad coniungendum duplex contradictorium, antecedens admittitur. Mutuum verò hanc causalitatem, & diuersum genus utriusque explicare, æque à nonnullis difficultatibus expedire loci proxime citati proprius est.



QVÆSTIO IV.

An futura absoluta, etiam contingentia, secundum se, qua talia, diuinam terminent cognitionem, sintque proinde obiecta saltem materialia ipsius?

DE absolute existentibus de presenti dubium non est, quin diuina cognitione attingantur secundum se, sintque proinde ipsius materialia saltem obiecta: quia de eis nulla potest esse, vel difficultatis vel æquiuocationis, aut paralogismi occasio, ut omni scientia Dei non repræsentari iudicentur: cum actu in se sunt, ac entitatem, & veritatem metaphysicam cum ente conuertibilem habeant, extra quam nullam veritatem cognoscibilem, atque enunciabilem aliqui recognoscunt: licet ex hoc eorum iudicio difficultas illa contra scientiæ diuinæ Deique ipsius immutabilitatem, grauius recentiorum sententia humana naturali ratione insolubilis, acuat; & augetur: inquirimus autem in presenti solum an futura, nondum in sua propria duratione existentia terminent diuinam cognitionem, sintque secundum se, & ut futura nondum, relatè ad durationem creatam successiuam durationem, existentiam absolutam haben-

tia obiecta saltem materialia illius: ut (sicut in præcedentibus de possibilibus, & futuris sub conditione obiectis) à quæstionibus de medijs, tam materialibus, quam formalibus, seu determinatijs dignæ scientiæ, ut circa futura ipsa veretur, postmodum rectè methodi causa instruendis abstrahamus.

2. Futurum autem omne, creatum necessario est: cum, quicquid diuinum est, siue ex prædictis necessarijs, siue contingentibus eadem Dei æternitate indubili, ac tota simul ab æterno & in æternum sit, ac duret: cum autem creata omnia, & singula esse, & existentiam actualem in se independentem à Dei decreto libero aliquo habere non possint: sit, ut futura omnia absolute contingentia, & libera sint: quia decreti diuini libertatem exercitiam supponunt, à qua libere & contingentem existentia secundario denominantur: sicuti, & causarum, & facultatum arbitrio & libertati nostræ subditarum opera libera, & contingentia sunt, ac dicuntur respectu, nostræ etiam voluntatis, sine cuius exercitio antecedenti non sunt, & à quo secundario libera & contingentia denominantur. Quoniam vero libertas, & contingentia illa secundaria à præuio exercitio libertatis diuinæ futuris omnibus (seu à causis necessarijs secundis, siue à causis secundis liberis, mediate, vel immediate, oriuntur) conueniunt, ut hæc ab illis diuidantur, ratio & causa esse non potest: cum autem specialis sit in his, ex libertate, quam à voluntate creata etiam specialiter habent, quæ non in illis, difficultas, scorsim propterea à Theologis examinanda: futura contingentia, & libera specialiter ex libertate arbitrij creati, ab alijs diuidendo, futura contingentia, & libera absolute; alia vero reliqua futura necessaria Theologi nominantur, in presenti ergo quæstione de futuris, solum qua futuris, & qua, tam futura necessaria, quam libera, & contingentia respectu nostræ libertatis, in eis continentur, inquirimus, ut communem utrique difficultatem examinemus.

CERTAMEN I.

Dominicanorum Recentium futuritionis contingentium formalis constitutio exploditur.

1. **R**ecentiores Dominici Thomistæ, quos refert Hieronymus Viues (& ipse Dominicus Thoma) de primatu diuinæ libertatis aduersus scientiam mediam d. 1. & d. 10. & d. 18. asserunt contingentium futuritionem puram formaliter, dicere quidem futuri de presenti negationem absolutam, non autem absolutam eius existentiam pro ulteriori duratione; sed determinationem anteriori duratione, ut absolute existit pro posteriori. Hanc sententiam idem Viues citatis locis amplectitur, multisque stabilire conatur argumentis. Porro determinationem hoc futuris, ut existant posterius, decretum Dei de eius futuritione in sua & suorum sententia dicit esse Viues, citata d. 1. nu. 30. & nu. 118. Et hanc sane sententiam præfati Dominici Recentiores consecrariam doctrinæ suæ de auxiliorum efficacia, & scientiæ medietate tenent; cum tamen nihili suarum sententiarum referat: etsi enim futuritio rei posteriori existentia inadæquate, iuxta communem omnium aliorum sententiam, ipsa terminorum apprehensione notam, formaliter constitueretur, dummodo ad eam pro ea decretum illud Dominicanum necessarium eius principium admitteretur, satis pro suis sententijs haberent: sed, cum tantis iter suarum harum doctrinarum difficultas, maioris adhuc stare voluit, ut alio pugnam diuertant: quo, non bene solum (ut vulgo iactatur) sed, male etiam soluturos pignora non dolere nobis frequenter probent.

2. Et quanquam, neque decreta eiusmodi ad rei futuritionem admittenda sint, (ut sequentibus disputationibus monstrabimus) eis tamen admissis, nequaquam illis contingentium futuritionem formaliter constitui ex eisdem eorum principijs ostenditur. Primo: quia rei futuritio

non minus dicitur existentiam rei pro vltiori duratione, quam esse rei præsens, eius existentiam actu, & de præ-
senti in hac præfenti duratione: atqui decretum non est
rei existentia tempore præfenti: ergo nec inadæquate rei
de futuro existentia, vel futuritio. Maior est certa: Nam
verbi substantiui significatum quous inflexionis, seu con-
iugationis suæ tempore, siue præfenti, siue præterito,
siue futuro idem omnino est: atq; cum de præfenti dicitur
contingens est, dicitur, & significatur eius contingens exi-
stentia, idque est eius significatum: ergo, cum dicitur *erit*,
substantiuo eodem verbo de futuro, dicitur eius existentia
pro vltiori duratione, non minus quam existentia rei de
præfenti indicatui modi prolato, quo de ea dicitur futuri-
tio. Minor item probatur primo: quia decretum de existi-
entia, duratione vltiori contingens, non magis eius est exi-
stentia vltiori: quam decretum de eius existentia præfenti
præfens, & actualis eius existentia sit: atqui decretum de
eius existentia de præfenti, illius existentia de præfenti, per
voss non est: ergo nec decretum de eius existentia vltiori
duratione eiusdem existentia vltiori duratione erit.

3. Secundo: quia posito decreto de rei existentia, pro
quavis duratione, sublatæque per impossibile rei existentia
pro illa non intelligitur res esse pro ea duratione, siue esse
de præfenti, præterito, vel futuro: ergo nec decretum est
existentiæ rei pro illa, nec eius præfentia formalis, futuritio,
aut præteritio. Tercio: per hoc decretum est de rei futuri-
tione: ergo, cum effectus sit, futuritio rei est decreti effe-
ctus, & obiectum: atqui decretum, nec obiectum, nec effe-
ctus sui ipsius est: ergo neque est eius futuritio. Confir-
matur: ex decreto efficaci de existentia de præfenti, siue præ-
sentiæ rei in essendo: quæ, quia eius effectus, & obiectum
est in decreto sui stare nullatenus potest: quod etiam ve-
rum est, et melius sapiens, aut minus male desipiens, asse-
tas decretum illud esse non de futuritione. adæquate sum-
pta: sed de existentia rei pro duratione vltiori. Minus
inquam desipiens: nam futuritio per hoc negationem
futuri de præfenti formaliter includit: quare decretum
de existentia rei tempore vltiori, non est decretum futuri-
tionis: sed partis, vt summum, vnius ex duabus, quib-
us futuritio constituitur. Vnde quarto arguitur: neque
eo posse, quoad partem illam, decreto formaliter futuri-
tionem constitui: quia rei non esse de præfenti, quod altera
futuritionis rei pars est, decreto de eius non esse, siue non
existentia de præfenti, quam causat, neque inadæquate con-
stituitur: sed rei non esse, siue non existentia intrinsece rei,
quæ ab illo causatur: ergo neque decreto de existentia in-
adæquate posita, quam causabit adhuc inadæquate, consti-
tuitur futuritio: sed existentia ipsa intrinsece rei per illud
causanda. Probatur consequentia, quia non dicit futuri-
tio stricta, & pura, magis intrinsece non esse nunc, quam esse
postea. Confirmatur: Nam non esse nunc rei, quam dicit fu-
turitio, non tollitur formaliter decreto de eius existentia
de præfenti, & nunc, sed sola intrinsece rei existentia ne-
gatione nunc, & intrinsece esse de præfenti: ergo esse rei
postea, quo non esse rei tunc formaliter pellitur, siue cuius
formali expulsiōne non intelligitur formalis rei futuritio,
sola esse & existentia intrinsece rei constituitur formaliter
non autem decreto adhuc de eius existentia postea.

4. Quinto arguitur, & confirmatur vltius: quia futuri-
tio dicit formaliter realem formalem transitum rei de
non esse nunc ad esse postea: atqui realis hic formalis tran-
situs de non esse nunc ad esse postea, nequit esse nisi tran-
sire ad oppositum reale formale contradictorium: ergo
neque esse potest per decretum de eius rei existentia po-
stea. Probatur consequentia: nam reliqua sunt nota: de-
cretum de rei esse, siue de existentia postea non est reale
formale contradictorium oppositum illi non esse, siue
non existentia rei de præfenti, à qua ad extremum con-
tradictorium essendi, siue existentia postea transitus fu-
turitio est: ergo, nec potest esse per decretum de rei exi-
stentia postea realis formalis transitus de non esse, seu
non existentia rei nunc, ad esse seu existentiam rei postea,
quam dicit formaliter eius futuritio: quare neque in eo
decreto rei formalis futuritio formaliter adhuc inadæ-
quate, constitui potest: quod rursus inuerso huius transitus
formalis ordinis à decreto existentia rei postea (in quo
aduersarij patrem, vt minimum, futuritionis eius forma-
liter constituitur) ad decretum de negatione existentia rei
nunc, siue ad decretum de eius existentia nunc negationem,
Christoph. de Ortega, de Deo Uno. Tomus I.

quæ solum contrarie, vel contradictorie realiter formaliter
ter opponuntur. Confirmari potest: debet enim proinde
non esse rei nunc, per decretum de eius non existentia seu
negationem decreti de eius existentia nunc formaliter con-
stitui: quod aduersarij negant, ac non esse rei nunc, siue ne-
gatione existentia de præfenti formaliter ex ea parte con-
stitui asserunt inconsequenter.

5. Sexto arguitur: Nam, etsi decretum illud sit deter-
minatiuum, seu determinatio futuritionis rei, siue, vt res
sit postea, quod est pars futuritionis, tamen aliunde ne-
quit esse adhuc quæ ad eam partem futuritio in quocum-
que esse rei postea, & non esse nunc, quæ futuritio claudit,
formaliter constituatur. Probatur: quia decretum illud
nunc formaliter realiter est: ergo si id reale formale esse
rei sit, & per quod realiter formaliter adæquate res tran-
sit ad esse nunc, & pro nunc transit ad esse formaliter,
quo desinat realiter formaliter non esse. Pater quia po-
sita reali formali forma adæquate essendi implicat pro
eodem instanti quo posita est, rem non esse: atqui posita
est nunc, per vos, decreto hoc existentia rei postea forma
adæquate existentia rei, siue essendi rem postea: ergo
implicat nunc rem non esse. Confirmatur: quia ex
eo, quod negatio existentia rei forma adæquate sit non
existendi, & nunc sit, implicat rem non nunc non esse:
ergo, si decretum forma adæquate sit essendi rem, &
nunc sit, implicabit rem nunc non esse. Vergetur: quia
implicat coniungi in eodem instanti, ac simul formam
adæquatam essendi rem absolute, pro quocumque instan-
ti talis absolute sit cum forma non essendi adæquate pro
quocumque instanti talis sit: coniungitur enim necessario
duplex pro eodem instanti contradictorium. Confirmatur
vltius: quia inter formas, quæ simul sunt, nequit esse tran-
situs temporarius rei ab vna ad aliam, quem dicit futuritio.
Nec satis est decretum illud esse formam adæquatam exi-
stentia rei postea, ac proinde non posse rem nunc existen-
tem, & in esse formaliter constituere: sed solum postea: si-
cut in nostra sententia simul existunt ab æterno decreta
determinatiua existentia rei præfentis pro nunc, & non
existentia anteriori tempore, vel posteriori, sine vlla con-
tradictione, aut destructione futuritionis, aut præteritionis
rei in his est, & instantia, & solutio. Principia enim contra-
dictorium, pro diuersis tamen durationibus, vt sunt de-
creta illa, sibi non repugnant, & contradicunt: ac proinde
simul esse possunt, secus formæ adæquate contradicto-
rium.

6. Solutio etiam inanis est: vel enim duratio sequens
affert aliquid, quo formaliter saltem inadæquate res sit,
transireque ad esse pro nunc, à non esse pro nunc, vel
nihil affert: si affert, illud est forma, ad quam transi-
bit pro ea duratione: si nihil, quia decretum est forma
adæquate essendi tunc, & essendi ac transeundi nunc,
forma erit, cum nunc est; duratio enim cum aduenit so-
lum facit durare rem pro suo nunc, atque ad eum solum
effectum formalem præstandum expectatur; non vero ad
alios aliarum formarum effectus præstandos, nisi, vt ipsa
forma, & subiectum, si diuersum ab illa sit, coexistant: vt ad
effectum formalem seu compositum tunc ponendum opor-
tet: quare ex eo, quod albedo adæquate forma sit consti-
tuens album, in quavis duratione deprehendatur, inferitur
legitimè album constitutum formaliter esse, pro quacum-
que duratione in subiecto sit, existentia vero, seu esse rei
cum à re vel non differat, vel sit eius primus actus non sup-
ponens rem in actu, sed omnino illam à pura potentia, in
qua solum ad eam actus supponitur, extrahens, si quacum-
que duratione talis esse deprehendatur rem facit formali-
ter esse & transire formaliter à non esse ad esse, in quavis
alia duratione, in qua sit, eadem consequentia vi conuincit-
tur. Nec refert, si dicas, nihil aliud esse rem pro quavis du-
ratione, quam pro ea durare iuxta sententiam asserentem,
durationem à re durante, & è contra rei esse, & existen-
tiam à duratione non distingui. Eo quippe etiam supposito
solum obtinebis ea duratione posteriori non autem de-
creto existendi de præfenti, & ab æterno transire formali-
ter contingens, & rem quamvis futuram non esse nunc, ad
esse postea pro illo tunc, quo erit: quare futuritionem, quæ
in eo transita formaliter stat, neque inadæquate eo deci-
to formaliter constitui, sed duratione posteriori.

7. Septimo contra eam sententiam arguitur: quia rem
esse nunc formaliter futuram, nihil aliud est, quam esse
posteriorius

RTEGA
ma. pari
D Via

posterius in rerum natura in existendo, comparatè ad instantans præsens: ut ex ipsa terminorum apprehensione patet: alit id habent res formaliter præcisè per non esse, seu negationem existentia nunc, & per esse, seu existentiam tempore posteriori, (ut in ipsa duratione priori, & posteriori, seu futura clarius, si potest certitur) quorum neutrum est decretum: ergo contingentis futuritionem est decretum. Respondet Viues sæpe d. 1. d. 10. d. 18. n. 44. & 45. negando maiorem. Primò: quia certo, & infallibiliter futurum de præsentis debet habere determinationem ad existendum postea, quam nequit de præsentis habere ab existentia postea, quæ non potest retrahi ad præsens, neque cū sui præsentis negatione sine contradictione coniungi, aut misceri: quare eam solum habere potest formaliter à decreto determinatè de præsentis existentiam futuri tempore posteriori, & cum negatione præsentis existentia amice componibili. Secundo: quia determinatio præsentis decreti sufficit, ut existat res postea: nec aliter possit euenire: quare cum hoc sit prius in eo stabit primaria futuritio rei; licet inde inferatur posterior illa rei futuritio, quam dicimus, completa per existentiam rei postea, & ex qua rursum, vera illa, & primaria formalis rei futuritio à posteriori inferatur. Dedit non solum solutionis secundæ verba, sed mentem: ea tamen aperta est principij petitio, & conclusionem ipsam pro solutione, & ratione dare: cuius nulla alia ratio, tentata sæpe, ab autore, redditur, quam existentia postea contingentia, quæ prima tangitur solutione: & cuius proinde confutatione impugnabitur.

8. Est igitur contra primam: quia, licet in priori naturæ ad existentiam contingentis postea contingentis sit existentia contingentis futuri postea, alit pro posteriori naturæ existentia eius postea ponenda, certo & infallibiliter ita est ponenda postea, ut non possit non poni: non secus atque ex suppositione, quod actu, & de præsentis idem contingens ex priori naturæ, & ex sua causa indifferenti contingens ponatur, in se pro actu secundo non potest non poni, nec contingens eum non ponatur: ac proinde certo, & infallibiliter positum de præsentis est: quidquid enim est, quamdiu, & ex suppositione, quod sit, necesse est esse, neque vlla est potestas, adhuc diuina, esseve potest, ut non existat de præsentis postea (cras v. g.) quod cras, vel de præsentis existere supponitur, alterutroque tempore in se existit: licet sit potestas ut non existat antecedenter natura ad eius existentiam: quia nulla est potestas, esseve potest ad coniungendum pro vlla duratione duplex contradictorium, ergo sublata omni determinatione, seu decreto Dei, ut cras, v. g., existat contingens, quod hodie ac de præsentis non existit, ex eo præcisè, quod pro posteriori naturæ ad suam causam in se postea cras existat, certo, & infallibiliter, ac necessariò necessitate consequente est cras existurum, & futurum, & ex nunc futurum, quin opus sit existentiam posterioris durationis ad præsentem retrahi seu anticipari, misceri cum præsentis existentia negatione, sed sua duratione posteriori esse, ut nunc sit ab illa res, quæ non est, futura, dicaturque: est enim futuritio ab absenti existentia constituta, ac denominata æqueque denominata, non secus atque præteritio; quin opus sit ut existentia anterior cum negatione præsentis miscetur: trahaturque ad tempus præsens, in quo est res, quæ decretum prædurans de futuri existentia posteriori per se formaliter, & è sui exigentia, & indigentia requirit; sed satis, si à Deo, pro ea duratione, pro qua rei existentia primo erit, conciperetur, illi foret, ut d. sequenti ostendimus; licet quia non ita à Deo concipi decreta sua in tempore deuo possunt, sed omnia in sua, & ex sua æternitate concepta sunt, ac necessariò, ita concipi debent, materialiter præconceptam tota æternitate requirant.

9. Octauò ex nuper dictis hanc Recentium Dominicanorum sententiam impugno, communemque nostram probò. Præteritio contingentis seu esse contingens præteritum formaliter adæquare stat in eius non existentia nunc, & existentia tempore anteriori, quin formalem eius constitutionem iuret decretum de præteritione, aut existentia anteriori ipsius, à quo actiue existit antèius contingens: quare ex anteriori existentia contingentis illius, quæ non est de præsentis, & negatione existentia de præsentis certo, & infallibiliter præteritio illius, quod nunc, & de

præsentis præteritum est, formaliter adæquare constituitur: ergo, licet futura rei existentia postea, non sit nunc, cum de præsentis res est futura, in illa tamen, & negatione eius præsentis stabit adæquata formalis futuritio, quæ res sit nunc, & de præsentis futura, siquæ abique vilo decreto, ex eis solis res formaliter erit. Respondet Viues d. 18. n. 48. præteritionem rei esse solum denominationem extrinsecam ab existentia eius, quæ fuit, alit futuritionem non ab existentia postea, sed à determinatione præsentis ad ipsam: dedit quia, vel cæcus, videat ea solutione principium peti, & respondere conclusiue, reddit eius disparitatis rationem solutione secundæ: quia res fuit: cum de præsentis erat, determinata erat ad esse, & postea determinata manet proflus ad fuisse, neque ad non esse, vel non fuisse contingentiam habet; at vero futurum contingens, cum nondum fuerit, nec sit, determinatum non est ad esse postea.

10. Hoc tamen impugnatum est n. 8. cum solutione 2. ad argumentum 7. à qua non differt, æque enim præteritum atque futurum contingens antecedenter potest non esse in sua duratione: et ex suppositione, quod sit, necesse est esse, quæ suppositione vel futurum, vel præteritum, est atque constituitur pro nunc, ac non sine illa quare, & determinatè, ac necessariò est, vel futurum, vel præteritum infallibiliter, est de præsentis nulla sit decreti determinatio, ut postea sit, vel antea fuerit. Verum quid est, quod profundè obseruauit de præteritis Anselmus libro de concordia præscientia cū lib. arbitrii. columna 2. in re præterita est quoddam, quod non est in re præsentis, aut futura. Nunquàm enim fieri potest, ut res quæ præterita est, fiat non præterita: sicut res quædam, quæ præsens est, potest fieri non præsens: & aliqua res, quæ non necessitate futura est, potest fieri, ut non sit futura. Cuius ratio est, quia, cum duratione signa, & instantia omnia naturæ, cum causæ ad vtrumlibet indifferentes, & potentis, tum contingentis effectus, qui in seipso pro illa sua anteriori duratione ita fuit, abierunt, nequeant rursum ad rerum naturam reduci, ac reuocari: neque nunc, neque vlla alia duratione, quæ fuerit, eam in qua, & pro qua contingens existit, sublecuta, vlla iam est, ut non fuerit, potestas quare, & fuisse omnino necessarium nunc est, & non fuisse prius impossibile: cum tamen in re præsentis contingenti, aut futura, cuius nondum elapsa duratio est, ut pro sua duratione, vel præsentis, vel futura non sit, absolute sit potestas antecedens, ex qua absolute non esse possit licet potestare consequenti non possit, vel nunc vel postea non esse, sed necessariò de præsentis sit, vel sit futurum, ut diamus ac proinde cum eiusmodi consequens futuri in seipso necessitas ex nunc futuritionem eius constituat, determinatè, ac necessariò futurum esse facit contingens, quod de facto erit.

11. Nonò tandem, (ut plura scribendi in re adeo clara tædio reliquis abstineam) eandem Dominicanorum sententiam ad hominem impugno, & communem nostram ostendo primò: quia futura hæc, eorumque futuritione absolutam in decreto Dei, cognosci tanquam in medio, & Viues, & reliqui iuniores Thomistæ consentiunt: ergo futura non sunt formaliter futura per decretum: nec hæc est eorum formalis futuritio: nihil enim medium est ad sui cognitionem. Secundo: conueniunt illi etiam futura, eorumque futuritionem in seipsis non posse cognosci: ergo nec decretum est eorum futuritio: patet, quia hoc in seipso cognoscitur: quare, si decretum futuritio ipsa futuri formaliter est, nequit decretum in se cognosci, quin in se etiam futuritio, & futura, quæ talia, cognoscantur, ni contradictoria admittantur. Tertiò: malitia peccati crastini, vel alterius etiam futuri, (v. g. peccati Antichristi) futura, nunc, vereque futura est, & peccatum quia peccatum formaliter, per illam tale ex nunc, imò ex æternitate datur Dei decretum, aut determinatio ad malitiam peccati, neque ad peccatum quædam, discrepabit à Caluino nec ad materiale ipsum physica præmonitio, quæ cum formali connectitur peccati futuri, nunc, aut ex æternitate est: ergo malitia peccati futuri ex nunc, & ex æternitate, seu formali peccati datur ex nunc, & ex æternitate vera futuritio abique eius decreto, aut determinatione, quæ nunc sit aut ex æternitate fuerit: ergo futuritio contingentium aliorum absque eiusmodi decreto continetur. Respondet Viues d. 18. n. 52.

nam, s. sequenti tomo se respondurum; interim vero admitti posse decretum Dei ab æterno intrinsecè efficax, circa malitiam formalem peccati, vt duo includat tale decretum Dei circa peccatum, & præfinitionem, ac prædeterminationem circa materiale, & permissionem circa malitiam, & formale illius: sed si permissio, quæ est in eo decreto ad malitiam de se, cum illa infallibiliter connexa sit, (vt ad solutionem opus est,) cum sit connexio illa & determinatio antecedens, & duratione, & natura aperte est præfinitio diuina malitiæ, & formalis peccati, nec solum materialis, quæ verbis etiam ipsis, quibus Dominicus consentiendum Caluino fatetur, plane suus Viues solutione consentit. Melius ergo erat illi, à male solutorum more, sua illa solutionis dilatione teneri, quam in adeo præceptis agi.

11. Missum nunc facio permissionis nomine cum ab vi, ac proinde in ea connexionem cum malitia, & formalis peccati futuri admittisse. Neque enim permissio de se cum peccato connexa est, nisi medium cum permissa malitia connexum sit, neque item impermissum obiectum, seu effectum de se tendit positivè: quocirca, ni prædeterminationem physicam ad formale peccati futuri, tanquam medium admittat, nequit in decreto illo, quæ permissum est malitiæ, connexionem cum malitia, & determinationem, vt postea fit, assignare: & ne tunc quidem argumenti vires infringat: cum physica illa prædeterminatio malitiæ future nunc, ne dum æternitate tota antecæta, ex qua malitia futura est, nondum sit. Porro omnia, quæ pro sua, & contra nostram communem sententiam Dominici Recentiores inducunt, vel ad hominem & nostri Ribadeneyra doctrina de necessitate veritatis præsentis ad veritatem propositionum de futuro contingentis sunt, quam reliqui Societatis nostræ Doctores abiecerunt, abiciuntque, & nos deinceps consutabimus non paucis: vel ea non penetrata futuri contingentis ex parte vna contingentia in causis suis, & actu primo, quibus, & in ordine ad quas, contingens est, cum eis contingenter adiungatur; & ex alia parte necessitate effendi in se, vbi primum est, siue ex suppositione, quod pro sua posteriori duratione sit: vnde cum hac existentia posteriori rei in futuritio constituitur, futuritio contingentis in se certa ac necessaria est; neque ea certitudine differens à certitudine & necessitate futuri non contingentis, sed omnino necessarij, sed alia, scilicet, necessitate antecedenti, in suis causis, quibus illud coniungi necesse etiam est: cum ergo argumenta omnia horum Ignoratio, at inde ortis æquiuocationibus innituntur, singularium ea diluere otiosum erit: solum aduerto, nihil pro sua sententia à Dominicanis itis afferri, quod in contingentem præsentem, vel de præterito insit eadem, vi contra coldem nequeat.

13. Quæ obiciuntur à Thomistis pro sua sententia, disiecta sunt impugnationibus solutionum à Viues adhibitarum, omniaque ei innituntur principio notissime falso: quod vere futurum, ac non factum, aliquam actualem sui formam tempore præsentem, ex quo futurum est, debeat habere, nec satis esse negationem actualem de præsentem, quam etiam habent pure possibilis: sed ordinem actualem ad existendum postea, qui intrinsecus rei existentem esse nequit, sed extrinsecus à decreto; cum tamen futuritioem sola actuali futuri negatione, sed posteriori eiusdem existentia compleatur: quare implicat totam eius formam actu, & de præsentem esse, nec ordine vilo actuali ad existentiam opus habeat, quæ extrinsecus posteriori compleatur: vti in omni extrinsecas denominatione pura vii videtur: quæ verò ex S. Thom. de effectus in suis causis futuritione pro se etiam assumunt, de futuritione penes signa prioritaris, & posterioritaris nature, & causalitatis sunt, imitativa nimirum, ac non propria futuritione temporaria, de qua hic disputatur.

CERTAMEN II.

Vera communis contingentium futuritionis sententia explicata, atque in doctos Recentiores animaduersio.

1. **V**era omniumque, siue Philosophorum, siue Theologorum cæterorum communis sententia est: contingentium futuritionem (putam, & perfectam intellige, iuxta mox dicenda) sola negatione existentie contingentis in duratione, seu æternitate antecæta ad ipsum, in qua, & ex qua pure futurum est, & existentie eiusdem pro duratione posteriori formaliter adequatè constituit. Longum esset præfatos omnes ita docentes, vel citare; ideo Recentiores aliquot tantummodo referam, apud quos, vel generatim, vel singularim reliqui videantur: ita Vaquez, Soarius, & Valentia in sequentibus citandi, & vbiunque de futurorum præfentia, vel obiter, vel ex professo disputant. Herize 1. part. d. 6. capite 6. Fallouis quæstione 14. articulo 13. numero 66. Petr. Hurtado d. 9. de anima lect. 6. sub sect. 1. Theophil. Raynaud. d. 2. disciplin. Moral. numero 342. Ruiz tomo de Scientia Dei d. 23. Alarcon tractat. de Scient. Dei d. 4. capite 1. numero 3. & 5. Bartolus Amicus tractat. 21. Logic. d. 4. dub. 4. Francisc. Lugo 1. de Deo vno d. 29. capite secundo, numero 14. Ribadeneyra d. 10. de Scientia capite primo, Pasqualig. tom. 1. d. 25. section. 2. numero 17. licet in præcedentibus aliquid æquiuocationis passus videatur Quirós 1. tractat. de Scient. d. 26. section. 2. numero sexto, Borull. de sensibus Scient. med. d. 1. section. 2. numero 13. asserens eam esse omnium Societatis Doctorum sententiam, Diceret tamen melius eam non solum omnium Doctorum, sed & Grammaticorum; atque vniuersim omnium hominum sensum esse: quorum syllabum non minuant pauculi, qui contra vocum, & terminorum, quibus vtuntur sensum, & apprehensionem, etiam suam, vt vidimus, obliuato sententiam ferunt.

2. Sententia huius probationes datæ à nobis abunde sunt cert. i. toto: quare pro quæstionis clariori decisione notandum est primo: futurum, quæ tale, siue rei futuritionem in duplici differentia esse vel putam, vel non putam, seu præfinitæ talem: sicut de possibilitate dicebamus: quare, sicut pura rei possibilitas, addit in super negationem absolutam existentie absolute in quavis temporis differentia: ita, & pura rei futuritio duo dicit: & absolutam negationem existentie in duratione præfentem, respectu cuius futura est, & dicitur, & absolutam eius existentiam in duratione posteriori. Vnde rei futuritio intrinseca illi adequatè non est; sed partim intrinseca partim extrinseca: intrinseca, quatenus eius existentiam absolutam ipsi intrinsecam & identitatem pro posteriori duratione importat; extrinseca, quatenus pro præfenti anteriori tempore negationem absolutam existentie rei ipsi coniungibilem deuoluit: sicut autem possibilitas præfinita solam dicit non repugnantiam absolute existentie rei possibilis, cuius proinde existentiam absolutam non ab omni, imo neque ab aliqua remouet duratione, quare, & rebus absolute pro aliqua, imo, & pro omni duratione (si quæ sint, esse possunt) existentibus, & extituri competit: ita & futuritio præfinita rebus de præfenti antecæte duratione, etiam existentibus competit: solumque dicit eorum durationem præfenti antecæte totam absolute existentie earum durationem non claudi, sed porrigi vltius, & extendi: quo etiam pacto de præfinitione rerum philosophandum erit, quanquam præfinitio, si perfecta sit, & absoluta tempore præfenti atque posteriori, respectu cuius, & pro quo præfinita absolute res est absolute eius existentie negationem inuoluit, secus si imperfecta sit præfinitio præfinito imperfecto verborum significata. Vnde Deo æterne omnino existentem

illud Apocalyp. propriè conuenit, *qui est, qui erit*, seu *qui venturus est*.

3. Hinc fit propositio, & iudicio omni, quo rei futuritioni assentimus, quæque de re futuritionem enuntiamus, si præcisam absolutam pro tempore, quo ita illam iudicamus, aut enuntiamus, representari, iudicari, aut enuntiarum debere; imo neque posse, quia in futuritione ipsa præcisum obiectum significatur, iudicatur, aut etiam enuntiatur, non clauditur. Propositione autem vel iudicio quibus futuritio rei pura significatur, iudicatur, ac dicitur eius absolutam existentiam pro posteriore duratione, ac eiusdem insuper negationem pro præsentis anteriore duratione significari, dici, atque iudicari: quia id totum in essentia eius obiecti continetur. Hæc apud omnes certa, & citra controuersiam sunt, & apud nostrates, licet aliter, atque aliter rem explicant. Dominici vero Recentiores in ordine causarum ad existentiam, & durationem futuri, siue perfecti, siue imperfecti, ut vidimus, & confutauimus certam. i. decepti locis Sancti Thomæ, quibus analogicam tradit effectus futuritionem prout in causis earum pro naturæ priori continentur ante sui existentiam formalem, & intrinsecam pro posteriore apponendam; non autem futuritionem propriam, & principalem, quæ in ordine ad tempus antea est, de qua in præsentis; futuritio enim illa effectus in causis penes prius, & posterius naturæ etiam in rebus, quæ de præsentis sunt, inuenitur, nec propriè verbi tempore futuro significatur: illud autem inter nostrates certum non est. An eius iudicii & enuntiationis duratio præsens, quæ futuritio, siue pura siue præcisua, (eadem quippe, quoad dubium hoc est de viroque difficultas) iudicatur, ac dicitur, iudicio illo, quatenus eius iudicii, & enuntiationis duratio formaliter est, eis significatur, iudicatur, & enuntiat: ita, ut iudicium, & enuntiatio supra suam ipsorum durationem, quatenus ipsorum duratio est, ac supra se etiam ipsa reflectant, ut ipsorum etiam durationem significet, atque implicite saltem enuntiet. Nam materialiter durationem præsentem, in qua iudicium, & enuntiatio sunt, significare, & enuntiare per copulam *erit*; aut verbum aliud temporis futuri, quo propositio constat certissimum est.

4. Docti Recentiores censent, copula, aut verbo iudicii, & enuntiationis de rei futuritione significari, & iudicari tempus præsens antea, quo res vel non est (si pura futuritio enuntietur) quoque id enuntiat, ac iudicatur, vel vltra quod erit (si iudicatur & enuntiat futuritio præcisua) formaliter, ut duratio iudicii, & enuntiationis ipsius est: ac proinde iudicium, & enuntiationem illam esse reflexiuam supra seipsam; alioqui esse iudicii ipsius durationem significare, & enuntiare non posset, nec rei puræ futuræ existentiam, & durationem esse posteriorem duratione actus. Probat, quia per affirmationem enuntiatuam existentia rei de præsentis affirmatur simultas rei, & enuntiationis: ergo per affirmationem de futuro affirmatur existentia enuntiationis in duratione præsentis, in qua habetur, ut eius duratio est, & anterior ad durationem posteriorem absolutæ existentia rei futuræ. Probat vterius à priori: quia cognitio futuri non est præcisè cognitio existentia rei pro sua duratione; id enim habet cognitio rei de præsentis habita in eadem duratione, quæ res absolute existit; quæ tamen inuestigata est non ex parte modi cognoscendi, sed obiecti cogniti: nihil autem aliud potest ex parte obiecti per ipsam cognosci, nisi durationem rei esse posteriorem illa, in qua cognoscitur, & enuntiat, & ac proinde id totum intrat in futuritione rei obiectiuam, & id totum cognoscitur & enuntiat.

5. Nihilominus censo concerni quidem tempus præsens, quo proferens iudicat, & enuntiat propositio-nem de rei futuritione, materialiter quidem, ut dixi, non autem, ut ipsi actui correspondet, atque eius mensura temporaria formaliter est. Moueor: quia, ut nuper aduersarij dicebant tempus illud præsens, ut mensura actualis iudicii, & enuntiationis de rei futuritione incognito reflexe iudicio ipso, ac enuntiatione, per

ipsam, cognosci nequit; implicat autem cognitionem creatam sui representatiuam, ac supra seipsam reflexiuam esse: ut fuisse controuersi, de actibus intellectus creati ostendimus, nec nimis curè controuersi, hæc 3. d. 2. ubi ostendimus reflexionem cognitionis supra seipsam summe intellectui, & intelligentis Dei summaque scientia, & cognitionis diuinæ proprium esse: ergo implicat per iudicium, seu enuntiationem de rei futuritione tempus præsens, ut mensura est eius iudicii, & enuntiationis per ipsam cognosci, ac enuntiarum. Moueor secundo: quia eo præcisè, quod res nunc non sit postmodumque pro vteriori duratione, & tempore existat est futura etiam nulla sit huius cognitio: ergo hoc solum cognito, & enuntiato nunc iudicatur, & enuntiat: totum, quod dicitur eius futuritio: atqui totum hoc cognoscitur non cognitio præsentis tempore, quo futuritio de re cognoscitur, & enuntiat, ut est mensura cognitionis iudicii, ac enuntiationis, quæ tunc habetur: ergo, ut cognoscatur, iudicatur, ac enuntietur de rei futuritione, opus non est cognosci iudicari, ac enuntiarum tempus præsens, ut mensura formaliter est iudicii, ac enuntiationis de ipsa.

6. Fundamenta Recentiorum debilia sunt seipsis, & ex datis proximè rationibus subruentia. Neque enim negamus per copulam propositionis de præsentis significari tempus in quo est actus, proferens, & iudicans, cuiusque propositio proferatur, atque cum proferenti tum, cuiusque propositioni proportionatur: cognoscitur enim, sed non formaliter, ut est tempus eius cognitionis, & propositioni respondens; ac similiter dicimus significari per copulam, seu verbum de futuro ipsum præsens cum negatione absolutæ existentia rei futuræ, si pure futura cognoscatur, & iudicatur: sicut de præteritione re perfecta, proportione seruata ad tempus antea, pro quo extitit, dicendum est; negamus vero aliqua ex eis propositionibus cognosci præsens tempus, ut mensuram iudicii, & enuntiationis, quæ in illo habentur. Ad secundum constat diuersitas obiecti futuritionis rei, quæ enuntiatur propositione de futuro obiectiuo propositionis, & iudicii de præsentis obiectiuo veritate.

CERTAMEN III.

Futura, quæ futura, ac secundum se à Deo cognosci certissimum de fide, & ex ratione est.

1. Conclusio hæc communis Philosophis, & Theologis omnibus, nullo excepto est. Licet enim Philosophi nonnulli, quos q. sequenti cert. i. referemus, futura contingentia nostra cognosci à Deo negauerint ut libertatem nostram tuerentur: alii de futuris nobis non liberis, sed necessariis, in quibus ea ratio non adest, nullatenus cognosci à Deo negarunt, & quamvis Theologi, ex Recentioribus etiam nostris nonnulli, ad id omne, quod actu cognoscitur, determinatiuum, seu verificatiuum cognitioni coexistens tunc, cum habenda, concipiendaque est, requirant, tamen ad futura ipsa diuinam scientiam terminari, tanquam ad obiectum saltem materiale, idem omnes defendunt, idcirco hic cum nullo Doctore super hac conclusione certabimus.

2. Sed neque cum Catholico aliquo certare poterimus: cum adeo sine aperta cognitionis diuinæ de futuris absolutis contingentiis nobisque liberis (in quibus, præter futuritionem, & actualis absolutæ existentia negationem alia est ex eorum libertate apparentior difficultas) scripturæ testimonia q. sequenti recitanda, quibus propterea recitandis nunc abstinemus. A ratione igitur probatur primo: quia præterita, etiam perfecte præterita, quæ talia, nomine dubitante cognoscit Deus: ergo etiam cognoscit futura pure quæ futura. Probat consequentia: quia præterita perfecte præterita æque absolute non

sunt de præfenti, cum cognoscuntur, atque non sint absolute pure futura de præfenti: ergo æque poterunt à Deo cognosci, quia talia: solus enim defectus absolute actualis existentie de præfenti poterat eorum cognitioni de præfenti apparenter obesse. Terrio: quia cognitio nostra, non ad existentia solum de præfenti, terminatur, sed ad futura, ac præfentia, quæ de præfenti non existunt: potiori ergo iure ad ea etiam omnia terminabitur cognitio, & omniscientia divina.

3. Quarto: distantia localis non impedit, quo minus obiecta loco distant intellectu nostro, imo tardiori sensibili potentia (v. g. visu, auditu) percipiantur, earumque terminent cognitionem, multoque minus impediret distantia intellectus perspicaciam infinitam, ut etiam loco distantia, sua scientia penetraret, etiam immensitas, ratione cuius omnibus intime præfens, & penetratus Deus est, ipsi deesset: ergo nec distantia temporaria obiectorum pure futurorum obicit infinitæ Dei cognitioni, quo minus ipsa antea duratione, imo ex æternitate pertingat. Confirmatur: quia, etiam præfentia, & simulata localis, ac durationis existentie obiecti, & cognoscens requirere- tur in duratione, & loco, quibus obiectum pertingit, Deo non deficit: cum duratio, & locus, ut hic dicam, quo Deus obiecta cognoscit, & iudicat, æternitas, & immen- sitas sint: quæ rei futuritatem secundum se totam coexi- stunt: siquidem coexistit æternitate sua indivisibili Deus temporis nostro in quo futurum non est, & posteriori du- rationi, in qua est: sicut immensitas sua tota loco no- stro in quo non est, & loco etiam in quo obiectum est: cum autem duratio significata, & denotata per copulam est, aut quodvis verbum enuntiationis, sit duratio propria, & proportionata iudicanti, non autem obiecto, ut dicebam controuers. 1. sit, ut licet de obiecto nostræ durationis non existenti de præfenti, sed propositiori duratione, cui, & existentia eius absoluta, & eius negatio absolute coexi- stunt, cognoscat, & iudicet Deus.

4. Hinc euanciscunt, quæcumque contra certam hanc conclusionem obici poterant, & in primis illud, quod dis- scillimum, & fere inexplicabilem paralogismum plenum est, de Dei mutatione, cum obiectum de præfenti adue- nit, cuius præfentem veritatem ab æterno cognosci à Deo non potuisse, si, ut futurum cognoscatur ac futuritudo rei diuersa ab actuali eius præfentia sit. Cui difficultati satis- fecimus citato loco controu. 1. ex doctrina data in confir- matione proxima: ex qua etiam facile constat vim, ne apparentem quidem, viliam non habere illud, quod facit contra nostram de rerum futuritione cognitionem, quando actu absolute non sunt, cum iudicantur, & enun- tiantur tunc, quia quod non est, non fecit: etiam enim vim aliquam habet respectu nostrarum cognitionum, & iudi- ciorum, quæ tempus nostrum transiens, & essentia sua suc- cessuum concernunt: alii respectu diuini iudicii, quæ suum indivisibilem, ac totam simul, æternitatem concer- nunt, cui toti omnia, tam positua, quam negatiua, suo quæque tempore, coexistunt, difficultatis vmbra habere non possunt. Idcirco Isaia 45. dicitur, qui fecit, quæ futura sunt. Explicat Augustinus in Psalm. 104. Ad id: Vocant famem super terram, his verbis: Apud Deum quiescit factum est, quod eius dispositione futurum est. Et Hieronym. in 1. Ierem. sub initio. Priusquam te for- marem in vtero noui te: ait. Non quod ante conceptionem (et hæc suspiciatur) fuerit Hieronimus, sed quod præfio- rit enim Deus, cui, necdum facta, iam facta sunt. Et Gregor. Mag. 20. Moral. c. 23. circa medium dubitat: qui Deus, cui nihil præteritum transiens, aut adueniens est, præfens dicitur? ac respondet: quia ea, quæ nobis fu- tura sunt videt, quæ tamen ipsi semper præfio sunt (rela- te ad eius durationem) præfens dicitur: quamuis nequa- quam futurum præfident, qui præfens videt: quia scilicet æternitate sua videt.

5. Sed neque respectu alicuius cognitionis nostræ, etiam, quæ tempus nostrum concernit, difficultatem in præfentiarum habet: cum, quia in hac questione abstra- hitur? an solum in alio, quod de præfenti debeat esse eius cognitionis determinatum, ac verificatum? solum enim, ut de reliquis hæc obiectis diuinæ scientiæ, di- spatabimus, de his etiam futuris: an secundum se diuinæ scientiæ obiecta terminatiua sint: siue ut ea pertingat

Deus determinatiua, aut verificatiua alio de præfenti, & actualiter absolute existentem habeat, siue non habeat, opus: de quo disput. ab hinc 2. & 3. longa nobis erit cum Thomistis Dominicis, & vno, vel altero e nostris Recentioribus controuersia: quare hic plura de his adde- re extra locum, imo extra chorum importune saltare no- bis est visum.



QVÆSTIO V.

An futura contingentia secundum se obie-
cta sint materialia, ac termina-
tiua diuinæ cognitionis?

QUOD futurorum contingentium absolute à Theo-
logis nominatorum voce intelligatur, constat è
quæstionis quartæ, præfatione num. 2. scilicet,
quæ à libertatis creatæ exercitio absolute pendet, siue
elicitue proxime, cuiusmodi sunt arbitrij, ac liberæ & in-
differentis voluntatis nostræ actus, siue remotæ, & media-
te, uti subditarum ei potentiarum, & facultatum nostrarum
operationes, exteriorum agentium, ex libera nostra
applicatione operatorum. De his siquidem omnibus,
quoad contingentiam eorum ex parte sui principij consti-
deratorum eadem est difficultas.

CERTAMEN I.

Deum cognoscere ab æterno futura con-
tingentia nostra de fide est.

1. **C**icero teste Augustino 5. de Ciuitate Dei cap. 9.
negauit Deo futurorum contingentium nostrorum
scientiam, ne, si eam anticipato haberet, eisdem con-
tingentibus necessitatem imponeret, quæ eorum euerteret
libertatem, ita ille 2. de diuinat. & 2. de nat. Deor.
prope fin. sicque homines, inquit Augustinus, dum vult
facere liberos, fecit sacrilegos. Est autem 3. de nat.
Deor. Balbi præfentiam, & præuideniam Deorum pro-
pugnantis, quam Corra, & eas, & Deos inde negantis
sententia adhareat, vitanda tamen inuidia communis
causa, non autem ex proprio sensu id à Cicero factum
Aug. ait: in eodem errore recensetur à Patribus, & Scho-
lasticis Aristoteles ob rationem eandem. Ita, solum ter-
uanda nostræ libertatis (quam attingisse videtur) causa,
cum propositionem de futuro contingentem determinate
veram, aut falsam esse vniuersum negauit 1. Periherm. c. 3.
hac ratione. Nam, si omnis affirmatio vera est, aut fal-
sa (scilicet determinate) & omne necesse est esse. Ac statim
fere: Nihil ergo, aut est, aut sit fortissimè n. que est quid-
quam, quod æque fieri, aut non fieri possit, sed omnia ne-
cessario eueniunt: Ex quo euenit sui rationem mutatus
videtur Cicero 2. de natura Deorum prope finem. Nam,
si, inquit, scit Deus certe eueniet: quod si certe eueniet,
nullus est casus, neque fortuna: aliunde etiam futurorum
contingentium scientiam Deo negasse Aristoteles putatur
à Patribus: quatenus sui ipsius solum contemplatione ab-
sorptum nihil ultra considerare docuisse videtur. Verum
ab hoc errore vltimo cum liberauimus d. 4. q. 1. sed de
primo titulo libertatis nostræ euerenda ex scientia Dei
de nostris contingentibus futuris eam Deo denegasse fa-
temur ex Theologis Gregorius in 1. d. 38. quæst. 1. a. 1. &
Sanctus Bonavent. ibidem ad 3. Vazquez 1. p. d. 66. c. 1.
& 2. Soar, Opule, de scient. futur. contingent. c. 2. nu. 11.
ex Philosophis Comibr. ad illud caput q. vn. a. 3. & fere
omnes eius Commentatores Recentiores ad eum locum.
Noster vero Ruiz sect. 5. & 6. cum vetustioribus, cum
etiam hoc titulo ab eo errore liberat, de quo nos contr.
de anima. la eodem tandem errore facit teste Herize